

Magnis literarum patronis ...
Novennalis exilii ruinas ...
Arvidus Horn

Pryss, Anders,

17 Taad Fo1.



National Library
of Sweden

MAGNIS LITERARUM PATRONIS et CULTORIBUS PATRIBUS CIVIBUSQVE ACADEMICIS

SAL. PL.

Novennalis exilii ruinas, recuperatis, post pacem immensa Dei bonitate restitutam, sedibus solatæ jam aliquamdiu sunt apud nos Musæ. Exinde quanto graviora vel cum prostratæ fortunæ malis, vel perennibus usq; adhuc temporum incommodis, ineunda illis erant certamina, tanto easdem diligentius oportuit, firmato ad fiduciæ speciem pectore, repressas sollicitudines, delatas curas, incerta certis mutata, vultu etiam præferre, ne ad honestatem contendentes animos, languor, pessimus in laudis cupiditate malum, sufflaminaret. Hoc consilio factum adeo est, DEO prosperante, ut superatis, quæ remoram undiq; faciebant difficultatibus, ad metam propositam feliciter pervenirent Viri & Juvenes aliquot multiplici eruditione & vitæ pariter honestate commendatissimi. Quos proinde cum dignos judicaret decerneretq; Amplissima Facultas Philosophica, qui titulis, honoribus, privilegiis in Philosophia maclarentur maximis, illudq; ipsum decretum REGNI SENATOR, Cancellariæ Præses, & Academiae hujus Cancellarius, COMES ILLUSTRISSIMUS DN. ARVIDUS HORN ratum esse juberet, sancivit eadem Facultas, consentientibus Reverendissimo Episcopo & Pro-Cancellario Eminentissimo, nec non Rectore Magnifico Illustri & toto Senatu Academico, ut honoribus his diribendis quarta decima lux volventis Mensis, quæ in Martis diem septimanæ ingredientis incidit, diceretur. Sed cum me ordo designet istorum Honorum distributorem, mei esse officii judicatum, MÆCENATES SUMMOS, quibuscunq; muniorum dignitatibus, titulis aut nominibus colendi observandiq; sint, Patres item Amplissimos Civesq; Academicos, tum honoratioribus quosq; urbis indigenas atq; hospites, qua par est reverentia, cultu & humanitate his orare, dignentur ad solennem hunc Promotionis actum exoptatissima sua præsentia celebrandum, dicta die, paulo ante horam IX, cum signum campana dederit, faventes convenire. Quotquot hac gratia obstringimur, nullum observantiæ, studii, officii genus, quod ad eam ulterius demerendam pertinet, intermitteremus.
Dab. Aboæ, d. XII. Junii MDCCXXVI.

ANDREAS PRÆSES.

